

Thomas Hearne (editor)
The itinerary of John Leland the antiquary,
volume 3
Oxford
1711

THE
ITINERARY
OF
JOHN LELAND
THE
ANTIQUARY.

VOL. THE THIRD.

Publish'd from the Original MS. in the
BODLEIAN LIBRARY
By THOMAS HEARNE M. A.

To which is added

ANTONINUS'S Itinerary through
Britain, with various Readings and
Dr. ROBERT TALBOT'S Annotations
upon it.

OXFORD,
Printed at the THEATER for the Publisher,
MDCCXI.

.....

128

ROBERTI TALBOTI
Annotationes in eam partem
ITINERARII ANTONINI,
quæ ad BRITANNIAM pertinet.

.....

129

.....

Ritupis in Portum Britanniarum.

Ptolemæus Rutupias memorat, eamque inter mediterraneas
urbes numerat, quod propter objectum Thanati sive Tenedi
insulæ paullo interius sita videatur. Bedæ Ruthupi portus di=
citur in Historia Ecclesiastica. Nunc præter ruinas nihil
exstat. Vulgo locus, in quo urbs antiqua stabat, adhuc Rich=
borow dicitur, illicque passim per campos vetera sæpe numis=
mata inveniuntur. Ibi etiam dicunt Augustinum, primum
Cantuariensem Archiepiscopum, in hanc insulam appulisse.
Credibile est, oceanum æstu suo tantam sabuli copiam ab
loco vicino, quod Godwini sabulum dicunt, in os fluminis im=
portasse, ut naves postea eousque ascendere non potuerint,
atque ita veterem portum deletum fuisse, novum ædificatum
esse, paullo propius mari, cui etiam a sabulo nomen Sand=
wiche inolevit: cui & ipsi nunc dicunt tractu temporis idem
incommodum accidisse; ut propter sabulosas obstructiones
jam nec illuc satis commode naves subducantur. Olim nihil
in Britannia erat Rutupino portu celebrius. Inde apud Juve=
nalem: 'Ostrea Rutupino edita fundo,' pro ostreis Britannicis.
& apud Ausonium,

Fudisti Ausonio Rutupinum Marte latronem,
i. e. Britannicum, nempe Maximum tyrannum.

.....

132

ITER II.

Textus. **Iter a Vallo ad portum Ritupis.**

Hic viam describit, quæ ab occidentali fine muri illius paullulum ultra Carleyle civitatem in insulæ partem maxime orientalem & portum Sandwiche ducit. Et est tanquam diameter totius insulæ, quantum ejus saltem sub Romanorum ditione fuerat. Hæc (ut puto) via illa est famosa, quam nostrates Historiographi Watlyngstrete, sive, ut in vetusto libro scriptum vidi, /a 'Watlyngastrete' nominant, quod per Verolamium transeat, quod Angli 'Watlyngaceaster' vocabant.

.....

..... /a 'Æ' supra prima 'a' scribitur ab alia manu. & sic mox infra.

137

.....

Londonio m p m. 12. Apud Ptol. lego 'Londinium'. Sic (ut memini) & apud Tacitum, qui etiam (si recte memini) eam civitatem adscribit Trinobantibus, i. e. Essexiensibus. melius, ut puto, quam Ptol. qui Cantiis apponit, a quibus flumine Tamesi est divisa. Illud etiam adnotandum pro Tamesi 'Jamesa' apud eundem Ptolemæum vitiose legi.

Loviomago m p m. 10. Correctiones monent legendum esse 'Noviomagum'. Apud Ptol. lego 'Noiomagus'; sed ea civitas est Regnorum, remotior opinor a Londino. Et tamen juxta eundem Ptol. non potest longe remota esse, quum nec in longitudine nec in latitudine plene /a dimidiatum gradum. Regni proprie sunt qui Suthsexiam inhabitant. At quum Saxones eam partem insulæ invasissent; (nam ibi eos primas in hac insula sedes habuisse constat, unde ab Horsa, qui cum Hengisto intravit, villa Horsham nomen impositum habet, & Chichester, quæ in veteribus libris Saxonice Cissancester appellatur, a Cissa, qui cum patre suo Ælla illuc secundo appulit;) quum, inquam, Saxones eam maritimam oram occupassent, verisimile satis est, Regnos Britonas introrsum refugisse, & ab illis Suthregiam regionem denominatam esse. Nam Suthreyciam in libris Saxonice 'Suthrege' & 'Suthregen' scriptam invenio. Porro a Regnis Rye portus, & oppidum Rhygat, & similia nomen habere videntur. Fortassis Suthry dicitur quasi Suthrey, quod sita sit ab australi ripa Thamesis, sicut St. Mary /b over ay Londini.

Vagniacis m p m. 18. Pro '18.' pone tantum 8. Nam quum a Londino ad Duropronas, seu Durobrivas, sint tantum 27. ut

..... /a Sic in MSS. /b 'Ouer hseo' in marg. ab alia m. Rectius, 'Ouer (vel Ofer) ea'.

138

post patet, necesse erit hic nisi 8. poni. Sic enim 10, deinde 8, deinde 9. numeri minores eandem summam conficiunt, videlicet 27. Puto Vagniacas esse vicum Wrotham.

Duropronis m p m. 9. Pro hoc paullo infra habes 'Dubobrius', & mox 'Durobrivis'. Nam hæc tria unum omnino esse debere certissimum est. Puto oppidum id significari quod nunc a flu. Medwey præterfluente nomen Medeston, quasi Medwey's Towne, accepit. Nam viam, quæ jam per Rochester tritissima est, eo tempore, quo Itinerarium hoc scribebatur, nondum puto fuisse usitatum: vel quod pons ibi nondum esset factus; vel quod

nec civitas ipsa Rochester. quæ certe si tunc fuisset, a Ptol. aut Tacito, aut alio quopiam fuisset nominata: præsertim civitas quam sit, & juxta viam tam celebrem posita. Præterea si illa via fuisset usitata, non tot millia computasset Londino Cantuariam, i. e. Darvernum, quot hic computantur, videlicet 62. Restat ergo per Maydstonam viam tunc fuisse, ubi fluvii transitus brevior est, & circuitio major.

Durolevo m p m. 13. Hoc esse Sithingborne vix ausim dicere; tum quod longior via est a Sithingborne ad Canterbury, quam a Maydston ad Sithingborne, (at hic contra a Duropronis ad Durolevum sunt 13. a Durolevo ad Durovernum nisi 12.) tum quod 'Durolevum' videtur significare oppidum aliquod, per quod amnis aliquis præterfluat. Nam 'Dour' Britanice sive Guallice aquam significat. Unde adnotasse mihi videor nomina hic a Dour incipientia oppidis non imponi nisi illis juxta quæ flu. aliquis prætereat. quanquam & illud nomen Sithingborne in vocem desinat quæ aquam significat. Nam 'Borne' dictio Saxonica torrentem sive fluvium, hibernis prope *fluviis auctum, designat; qualem torrentem post pluviam ibi esse crediderim. Video enim alveum ingentem, siccum tamen ferme ut plurimum. Quære a Cambrensibus an Durolevum sit idem quasi interpretatum Anglice Sithingborne? Si 'leve' Guallice sit idem cum 'Sethinge' Anglice, bulliens & fervens; quid si Durolevum sit Charinge? Nam ibi paullo major distantia est a Maydston quam ad Canterbury. Præterea aqua est, sed levis. estque episcopi manerium.

*<r. 'pluviis'>

Duroverno m p m. 12. Hoc bis postea 'Durarvenno' scribitur. Ptol. 'Darvernum'. /a Est in Cronicis nostratibus sæpe 'Duroberniam' lego. & inde archiepiscopus 'Durobernensis', qui nunc Cantuariensis. Nam Saxones post adventum suum in insulam civitatem eam 'Cant wara byrig', quasi Cantiorum virorum curiam, appellarunt. Nam 'weir' vir, & 'wara' viri Saxonice /b significat. Sic 'Borow whara', quasi Borowmen, sæpe lectitur. Fluvius, super quem sita est, Stowr dicitur. Inde vicus, qui

/a Forsan, '& in Chron. nostratibus sæpe D. lego.' /b 'Significant' ab alia manu.

139

juxta ripas flu. portenditur, Stowrstret. Et oppidulum paullo infra super eundem flu. Sturrey. Et in ostio ejusdem flu. aliud Sturemoutha appellatur. Darvernum a 'Dour', i. e. aqua, nomen compositum habet. Guallicus quispiam mihi interpretatus est Darvernum, quasi 'Dour ar guerne', quasi aquæ juxta paludem aut mariscum. Porro 'Dorovernum' & 'Dorobernia' differunt nisi sicut 'Luguvallum' & 'Lucuballia', de quibus ante dictum.

Ad portum Ritupis 12. De hoc dictum jam ante est. De hoc mentionem facit & Paullus Orosius li. I. cap. 2. Britannia, inquit, 'a meridie Gallias habet, cujus proximum littus transmontibus civitas aperit, quæ dicitur Rhotupis portus: &c.' Ex quibus verbis illud liquere videtur, de quo aliquando dubitabam, videlicet Rutupias civitatem & Rutupi portum non diversum, sed omnino idem significare, & esse eum portum quem Orosius civitatem nominat. Nec te turbet illud, quod videas hic portum Rutupi sive Ritupis a Darverno 12. milliaribus distare; quum Sandwich a Canterbury non nisi 8. dicatur abesse. Nam pro generali regula tenendum est in Itinerario, omnia millia ad mensuram Italicam reduci. Porro millia Italica sive Romana paullo sunt nostris breviora. Sic vides inter Verolanium, hoc est Sanctum Albanum, & Londinum, esse illic millia 21. quum vulgo pro 20. brevissimis habentur. Item inter Cæsaromagum, i. e. Chemsforde in Essex, & Londinum esse 28. quum moderna mensura sint nisi 25. Si mile est in ceteris omnibus, ut ne interim addam illud quod

milliaria in Cantio longissima sint: adeo ut in proverbium eorum longitudo abierit. Sic habes inter Darvernum & portum Dubris 14. quum moderna computatione sint nisi 12. Porro quod portus Rutupinus sit Sandwich vel hoc argumento probatur. Tres hic habes portus ad quos a Londino per Darvernum itur. Primus est portus Ritupis, qui distat a Darverno 12. milliariibus. Secundus portus Dubris, qui remotior est a Darverno, nempe milliariibus 14. Tertius est portus Lemanis, qui remotissimus trium est, distatque milliariibus 16. a Darverno. Nullus autem alius portus tam vicinus Cantuariæ existat hodie, quam est portus Sandwich. Ergo.

ITER III.

Iter a Londino. Falso scriptum puto 'a Londino' pro 'Londonio', sive 'Londinio'. Nam 'Londinum', quod nunc tantopere in usu est, nusquam apud veteres legisse me recordor, sed 'Londinium', ut apud Ptol. & Tacitum. Atque hic Londonium sæpius quam *Londinium; & non semel, quod verissimum puto, Londinium.

*<r. 'Londinum'>

Ad portum Dubris 66. Hic haud dubie portus ille est celeberrimus nunc hinc in continentem transeuntibus, qui vulgo Dover, Saxonice 'Dofras' dicitur, ubi portum veterem

140

obstructum magno impendio rex modernus Hen. 8. refoedere aperireque conatur. Ibi arx est editissima munitissimaque, in prærupta rupe sita, structuræ vetustissimæ. Portus antiquus erat, ubi nunc oppidum est. Alveum veterem fossores scrutando invenerunt ad nescio quot cubitos profundum, lignis nondum prorsus putrefactis & consumptis refertum. Ipse vidi truncos aliquos revulsos reductosque inde putridos quidem carieque aut putredine potius exesos, sed tamen non adeo quin discernas lignum fuisse.

Dubobrius m p m. 27. Pro 'Durobrivis' scriptum, ut patet in proximo itinere ad portum Lemanis. Dixi jam ante, ubi scriptum est 'Duropronis', putare me hæc tria unum esse debere; sed rem altius expendens & circumstantias, video & aliam viam, quæ fortasse satis probabilis judicetur. Nam, ut ante dixi, in his rebus difficile fuerit quicquam pro certo affirmare. Quid igitur si Duropronas Maydstone interpretemur illic, & hic atque in sequenti loco Durobrivas Rochester? ut sit illa via longior quidem, sed per loca inhabitatiora planioraque, & prorsus aptiora ad conductum exercitus, hæc autem directior magisque compendiaria. Ita ut illa via fuerit magnatum & eorum qui parvis itineribus viam peragunt, hæc privatorum & cursorum, qui magnis itineribus viam corripiunt. Per illam ergo viam ibatur Londino Noviomagum, quæ eadem est quæ Ptol. Neomagus; sicut non semel alias apud Ptolemæum 'Neomagum' legis, pro quo ubique Plinius & ceteri Latini 'Noviomagum' dicunt. Sic ubi Græci dicunt 'Neodunum', Latini 'Noviodunum', & ubi Græci 'Neocomum', Latini 'Novocomum' sive 'Noviocomum' dicunt: unde Plinius 'Noviocomensis' erat. Sit ergo hoc satis probatum Noviomagum hic idem esse quod Neomagus apud Ptol. quæ ibi civitas Regnorum est. Regni autem erant qui nunc Suthregii appellantur. Adducor itaque ut credam Noviomagum Crodon esse, quæ est Suthregiæ oppidum non infrequens, nec multum extra viam Cantuariam versus: unde & episcoporum Cantuariensium est possessio, quibus hujusmodi civitates assignatæ videntur antiquitus, per quas commodius parvis itineribus ad consilia regum ascendere Lond. & descendere inde possint. Sic prima die /a veniat Londino Croydonam, secunda Otfordiam, quæ super eandem viam sita est, tertia Maydstonam, quarta Charin-

gas, quinta demum die Cantuariam. Quo vel uno die expe= ditiores properantioresque pervenire possent per viam Roche= stremsen. Jam & Croydonæ ostenditur locus, quod vetus op= pidum dicitur, mille passus ferme in longitudine occupans, remotior Londino quam Nova Croydona. Sic regi Scotorum

/a Forsan 'veniatur' vel 'veniant', nisi potius 'episcopus' subintelligatur.

141

dicunt oppida sua per totam Angliam assignata, per quæ Lon= dinum versus antiquitus ad Parlamentum possit ascendere. Porro pro distantia sic habeto. Londino Noviomagum legis hic 10. milliaria. Vulgus Londino Croydonam nisi septem nu= merat. Hic mecum considera primum, quod ante dixi, lti= nerarium loqui de milliariibus Italicis. Deinde considera */a* quod milliaria Cantica sint omnium longissima in hac in= sula, tum quod Londinum undique ampliatur sit, ita ut nunc ferme mille passus quaquaversum pateat amplius quam tum patebat. Sic legisse memini Westminster esse mille passus ex= tra Londinum, nunc prorsus urbis pars est. Tum fieri potest ut via nunc directior meliusque strata sit quam tunc fuerit, ex quibus omnibus confieri ut septem milliaria, quæ nunc com= putantur Londino Croydonam, decem illis satis belle respon= deant. Porro a Noviomago ad Vagniacas habes milliaria illic 18. quod ego correxi ibi, putavique non 18. sed 8. debere esse. Sed isto modo constare potest ut 18. legas quot ferme sunt nunc a Croydona ad Wrotham. A Vagniacis ad Duro= pronas novem. Nunc sunt a Wrotham ad Maydston 8. Hæc erat tum via illa longior de qua dixi. Porro, altera brevior fuerit Londino Durobrivas, i. e. Rochester, inter quas non fuerit aliud oppidum alicujus nominis, 27. Nunc compu= tantur 25. Et inde Cantuariam 25. Nunc puto non plus quam 20. computari. Vides ut semper milliaria lterarii sunt breviora pluraque quam vulgaris computatio nunc habet. De his dictum satis. Durobrivis Rochester, 'Dorbryf' Wallice sonat 'Quick-streame'. Porro aqua */b* & æstus marinus ibi fluit & refluit velocissime violentissimeque. Quod Rochester olim Du= robrivæ vocabatur, Charta funationis Monasterii, quam Prior (qui nunc Decanus est ibidem) mihi aliquando ostendit, di= sertis verbis aperit.

Durarvenno m p m. /c 18. Lege 'Duroverno'.

Ad portum Dubris m p m. 14. Nunc illud nisi duodecim computantur.

ITER IV.

Iter a Londino ad portum Limanis m p m. 68. Portus Le= manis nunc prorsus exaruit. Ejus membrum erat Hith. Sed portus ipse fuit in parochia de Lympne, sub rupe editis= sima, in qua ecclesia de Lympne parochialis sita est. Infra rupem illam ad ipsum portum erat arx sive castellum ad portus defensionem, cujus muri crassissimi adhuc stantes visuntur in ea parochia & vico qui Belerica dicitur. Servant adhuc in signum quod ibi aliquando portus erat, cornu æra=

/a 'Quam' pro 'quod' supra lin. ab alia manu. /b Ita supra lin. ab alia manu. Antea 'est' legebatur. /c Lege, '25'.

142

tum & sceptrum, habentque ibi adhuc quasdam libertates, sicut in ceteris quinque portibus. Præterea Guardianus quin= que portuum, quando inquit magistratum, ibi suscipit juramen= tum, illucque conveniunt viri primores quinque portuum ad crucem, quæ dicitur Shyppey-Crosse, i. e. Shypwey-Crosse, hoc est, crux super navalem viam sita, per quam videlicet ad naves

descendebatur. Exstat adhuc via lapidibus pulcherrime strata a Cantuaria versus portum illum per aliquot milliaria. Apparet portum paullatim defecisse. Nam quum jam naves ad ipsum portum propter vadositatem pervenire non possent exonerantur in loco, qui adhuc Westthyth dicitur. Deinde aquis /a ibique deficientibus, apud locum, qui jam Hith dicitur, onera exponebantur. Porro nunc nec illuc per dimidium milliariis æstus marinus pervenit. Nec ullus ibi portus fixus & certus est, sed subinde sursum deorsumque motatur, prout æstus arenas sursum aut deorsum agitatur. Libet adscribere quod in /b Chronica quadam Saxonica scriptum legi. Verborum hæc est sententia. 'Anno domini 893. hic ille magnus exercitus, de quo jam diximus, reversus est ab orientali regno in occidentem usque Bologniam, & ibi intrantes naves cum omni comitatu, cum equis & omnibus rebus suis applicuerunt in ore cujusdam fluminis nomine Limene cum ceteris navibus. Ostium fluminis jam nominatum est in orientali parte Cantii, ex orientali parte magnæ silvæ, quam vocant Andred. Silva illa ab oriente in occidentem tendit cxxxiii. milliaria. Latitudo autem ejus xxx. milliaria. Flumen superius dictum fluit de illa magna silva in mare. Per istud flumen traxerunt naves suas iii. milliaria per silvam, &c. deinde ædificaverunt opus apud Appuldre.' Ex his verbis apparet flumen illum, qui per Appuldre ad Rye descendit, aliquando per Romney-Marshe & per Lympe in pontum exisse, aut certe mare ipsum usque ad Appuldre illac æstum suum immisisse. Alioqui quo modo naves suas illac ad Appuldre pertraxerunt? Hunc portum Limanis apud Ptol. non invenio, nisi sit qui ibi <kainos limên>, i. e. novus portus, dicitur; ut potuerit postea, abjecta priore dictione propter nimiam nominis longitudinem, Limen appellari. Quod si verum est non 'portus Limanis' sed 'portus Limenis' dici scribique oportebat. Nomen certe vulgare oppiduli Lympe sive Limen, item quod flumen ille Saxonice 'Limen' & 'Lymen-Mouth' scribitur, idem ostium Limenis adstipulari videtur ut 'Limenis' potius quam 'Limanis' scribatur & proferatur.

Durobrivis m p m. 27. Hanc dixi esse Rochestriam.

/a Sic in MS. Littera autem 'u' pro priori 'i' in primis scripta fuit; ac si 'ubique' legi deberet. Sed eadem delevit manus. Lege 'ibi'. /b Hæc Chronica Saxonica est [forsan 'fuit'] Ecclesiæ Cantuariensis quondam. Et Chronica Peterburgensis habet eadem verba in an. 893. Vide proximam paginam. [Hæc omnia in ora codicis, ab ead. manu.](#)

143

Duravenno m p m. 25. Pro 'Durvarno' vel 'Durovarno'. Cantuaria est.

Ad portum Lemanis m p m. 16. melius 'Limanis' aut potius 'Limenis'.

.....

<These extracts come from Hearne's edition of Talbot's notes on the British section of the 'Itinerary of Antoninus'. I use bold type for the passages which Talbot was quoting from the book in front of him (a copy of the edition printed at Paris in 1512); notes added by Hearne are blue. Over the page I reproduce the relevant entries (1) as they were reprinted by Hearne from the Paris edition and (2) as they might look in an uncompressed and uncorrupted form. – C.F. August 2010.>

(1)

iter a uallo ad portum ritupis milia plus minus cccclxxxi sic

.....

londonio m p m xii
louiomago m p m x
uagniacis m p m xviii
duropronis m p m ix
duroleuo m p m xiii
durouerno m p m xii
ad portum ritupis m p m xii

iter a londino ad portum dubris milia plus minus lxvi sic

dubobrius m p m xxvii
duraruerno m p m xxv
ad portum dubris m p m xiv

iter a londino ad portum limanis m p m lxviii sic

durobriuis milia plus minus xxvii
duraruerno m p m xxv
ad portum lemanis m p m xvi

(2)

iter a uallo ad portum ritupias m p cccclxxxi sic

a uallo

..... ad londinium m p xii

a londinio ad nouiomagum m p x
a nouiomago ad uagniacas m p viii
a uagniacis ad duobriuas m p ix
a duobriuis ad duroleuum m p xiii
a duroleuo ad durouernum m p xii
a durouerno ad portum ritupias m p xii

iter a londinio ad portum dubris m p lxvi sic

a londinio ad duobriuas m p xxvii
a duobriuis ad durouernum m p xxv
a durouerno ad portum dubris m p xiv

iter a londinio ad portum lemanis m p lxviii sic

a londinio ad duobriuas m p xxvii
a duobriuis ad durouernum m p xxv
a durouerno ad portum lemanis m p xvi